


ANN. XVII - FASC. VI

MENSE IUNIO MCMXXX

ALMA ROMA



C. DEL VECCHIO.



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulæ pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Iunio MCMXXX

Fasc. VI

ALMA ROMA
LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

APOTHEOSIS VERGILIANA

Nox est et fulget per sudum pallida luna,
Ac sacrum mulcet radiis in litore bustum:
Parthenopen petit et circum volat Umbra Maronis,
Iucundumque subit nemus et sedet ante sepulcrum,
Iamque mari fruitur placido caeloque sereno.
Mox tacito lapsu Dantis levis advenit Umbra,
Et: « Salve, — clamat, — Publi, divine Poëta:
Ipse libens volvi tua carmina nocte dieque,
Et potui quondam duo, Te Duce, visere regna:
Ecce parant Itali solemnies ducere pompas,
Natalemque tuum festis celebrare diebus.
Surge, Maro, patrias libeat volitare per oras ».
Sic fatus Ducis amplexu colloque pependit:
Mox Italos ambo campos silvasque peragrant,
Cumas deveniunt simul et secreta Sibyllae
Antra vident nigrumque lacum pallentis Averni:
Dein Latium visunt, urbes arcesque vetustas.
Mirantur niveo florentem marmore Romam,
Et flavum Tiberim varioque nitentia cultu
Templa Deum plateasque novas et ahenea signa.
Iam Florentinam rapido tetigere volatu
Urbem, moxque petunt quos agros alluit ingens
Mincius, et patrias regiones visere gaudent.
Ecce simul redeunt ad caerulea templa Poëtae,
Sol ubi collustrat divinâ luce beatas
Sedes, et laetis resonant concentibus aurae.

Ingrediuntur iter tandem per amoena locorum
 Magnanimi Vates: divusque fit obvius illis
 Maeonides, adridet Horatius ore micante,
 Albius et doctus cantare Propertius ignes
 Conveniunt simul et Naso lepidusque Catullus.
 Excipiunt omnes tum vero fronte serenâ
 Vergilium, dulcesque Viri dant ore loquelas.
 Tunc Dantes: « Placeat caelestia visere regna
 Et species, — inquit, — per aperta serena micantes ».

Ecce per Elysium Vatum Chorus explicat alas:
 Festinant, summique tenent fastigia Caeli:
 Aethereos lustrant tractus et lucida templâ,
 Et visunt alacres genus immortale piorum:
 Hic admirantur spectacula grandia: coram
 Adsunt innumerae gentes populique beati,
 Magnanimi heroes, qui iam per tela, per hostes
 Ob patriam bello multum fudere cruentem.
 En Priamus fulget solio suffultus eburno:
 Stant iuxta nati dulces et regia Sponsa,
 Hector Dardanides heros innititur hastâ,
 Et lateri simul haeret amans fidissima coniux
 Andromache: studiosa suum foveat usque puellum
 Astianacta manu, natoque dat oscula blanda.
 Parte aliâ magnus splendet fulgentibus armis
 Pelides, cuius pugnax deferuit ira.
 Est Laertiades prudens cum coniuge castâ:
 Hic miras texit telas, distinguit et auro
 Penelope: pingit species et facta virorum.

Vergilius studio recolens hîc omnia lustrat:
 « Felices animae, — clamat, — vos multa tulistis
 In terris: meritae nunc fertis praemia laudis.
 Hic vestrae virtutis honos nomenque manebunt.
 Felix qui cecinit divino carmine facta
 Heroum mendicus egens et luminis expers,
 Et potuit Troiae contingere maesta sepulcra.
 Meonidae retro vestigia magna secutus
 Ipse quidem cecini Mavortia bella Virosque ».

Admiranda quidem praebet spectacula Caelum:
 Hic pius Aeneas, qui terrâ multa marique
 Et bello passus Latio sua Numina tandem
 Intulit, et tenuit victor Lavinia regna,
 Eminet, et circum fulgentia lumina volvit:

Assidet uxor amans Troiana Creusa simulque
 Ascanius, gemmisque nitet Lavinia Coniux.
 Est et magnanimus Turnus cum rege Latino,
 Quique Palatinæ fuit olim conditor Arcis,
 Et Pallas iuvenis bellator caede peremptus,
 Et belli studiis asperrima Virgo Camilla.
 Amplexu in placido, fraterno foedere iuncti
 Nisus et Eurialus caelesti luce renident.
 Vivit et aeternum Remo cum fratre Quirinus,
 Moenia qui celsae prope Tibrim condidit Urbis.

Vergilius mirans totâ regione vagatur,
 Iamque videt priscum Brutum fascesque receptos;
 Magnanimosque Viros Fabios fortemque Camillum,
 Mox et Scipiadas geminos doctumque Catonem,
 Fabriciumque ducem frugi spoliisque superbum
 Marcellum: spatiis cuncti versantur in altis.
 Illustres animas magno comitatur honore
 Plurima turba, volant aquilæ stridentibus alis.
 Vergiliumque pium iam prospexere beati,
 Laetitiâque fremunt omnes plauduntque Poëtae.

Omnia, quae iuvenis gracili iam lusit avenâ
 Vergilius, videt hîc: laeti per opaca locorum
 Carmina pastores calamo modulantur agresti,
 Vel faciles ducunt choreas: fruiturque serenus
 Corycius requiete senex per florea rura,
 Et colit aeterno sub sole rosaria blanda.
 Ore preces pia fundit amans in mollibus umbris,
 Ac passim carpit flores Amaryllis hiantes:
 Ecce per Elysium dulcem videt ire Poëtam,
 Pallentesque legit violas casiamque recentem,
 Purpureasque rosas et luteolos hyacinthos,
 Et vario nectit viridem de flore corollam,
 Ac praebet Domino. Tunc: « Accipe, magne Poëta,
 Flores, — exclamat, — divini munus amoris:
 Per te virginem potui servare pudorem,
 Cum belli rabies saeviret caeca per agros:
 Debita pro meritis Tibi Numen praemia reddat ».
 Gaudet ad haec Vates placidaque dat oscula fronti,
 Pergit iter mox qua teneri gradiuntur amantes:
 Felices animae Dido fidusque Sichaeus
 Deliciis caeli suavique fruuntur amore.
 At, simul egregium Vatem conspexit Elisa,

Excutitur: « Salve mihi, — clamat, — maxime Vatum,
 Tu quondam nostro doluisti saepe dolore,
 Flebilibusque modis cecinisti tristia fata.
 Ipsa quidem ferro, demens, extrema secuta
 Iam cecidi: revoluta toro, mortemque sub ipsam
 Quaesivi caelo lucem, gemitusque trahebam,¹
 Cum tandem mihi lux oculis errantibus alma
 Affulsit: moriens iam tum sperare salutem
 Aeternam potui culpamque piare per ignes:
 Nunc adscripta Choro fruor aethere pura beato.
 Parte alia fulget vultu radiante Sibylla,
 Quae Puerum cecinit Sanctâ de Virgine natum:
 Contemplatur amans afflataque Numine templum
 Sidereum speciesque videt praesaga futuri,
 Admiranda pio Vati mysteria pandit:
 Ecce canit quae iam fuerint exordia rerum,
 Ut teneri moles mundi concreverit olim,
 Quae mox perculerint primos mala fata parentes,
 Et quae funereâ Servator in arbore Christus
 Vulnera sit passus nobis pro sôntibus insons:
 Ut iam Christiadae veterum simulacra Deorum
 Eruerint, et Religio florescere sancta
 Cooperit in terris, quos egerit ipsa triumphos.
 At decus omne nitet vivax et Gloria Vatis:
 Qui vixit nostris olim maestissimus oris,
 Ducere nec potuit meritos ad templa triumphos,
 Hic et laetitiâ fruitur regnoque sereno,
 Ac tandem Victor magnâ cum laude triumphat:
 Ecce parant omnes solemnia festa Maroni
 Caelicolae vernoque simul de flore coronas.
 Felices alacer Vatum Chorus advenit oras,
 Sol ubi splendidior florentia lumine rura
 Vestit, et aethereis divinum spirat odorem
 Aura profecta plagis, dulcique nitentia lacte
 Flumina per campos sinuosis flexibus errant,
 Argutique natant candenti corpore cycni.
 Iam simul incipiunt aurescere sidera caeli:
 Surgit de nitido mirabile marmore templum.
 Est hîc in medio, fulvo diademate cinctus,

¹ Oculis errantibus alto
 Quaesivit caelo lucem.

(VIRG., L, IV. v. 691-92).

Caesar: stant equites circum clarique poëtae,
 Maecenasque favens generosus præsidet illis:
 Ecce triumphali redimitus tempora lauro
 Vergilius vehitur curru fulgente per aethram:
 Quadrijugos agitant currus ad templa Camoenæ,
 Atque simul Charites Vatem comitantur ovantes,
 Et referunt palmas, et dulcia carmina dicunt.
 Laetitiâ ludisque fremit Chorus usque canorus,
 Et tollit plausus, queis aemulus assonat aether.
 Plaudit et ipse, sedens solio sublimis in alto,
 Augustus, Victorque Maro prætervolat oras.
 Panditur interea polus et miracula rerum
 Praebet; Maiestas late Romana refulget:
 Vitrea caeruleo iam pendet in aethere tela,
 In qua res Italæ fulgent Romanaque gesta:
 Hic gemini simul infantes prope fluminis oram
 Ubera plena lupae sugunt: hîc moenia Romæ
 Adsunt et circum Pario de marmore templa.
 Hic simul arma patent pugnataque bella per orbem:
 Romani Siculum findunt mare classe ruentis,
 Et, spumante salo, longe lateque minantur:
 At rapido victos contorquet vortice fluctus
 Poenos et laceros malos fractasque triremes:
 Apparent pelago disserpta cadavera vasto.
 Aethra triumphatas gentes eversaque regna,
 Et domitas urbes ac Romam præbet ovantem.
 Actia magnanimo cum Caesare pugna refertur:
 Fluctibus aeratas videas innare carinas:
 Iamque faces et tela volant, mare caede rubescit,
 Barbaricas naves, fugiens, Regina per aequor
 Iam secum dicit: laetae vada caerula verrunt
 Puppes, quas volitans Victoria fronde coronat,
 Invehitur Caesar populo plaudente per Urbem.
 Compositis bellis, frustra Furor impius ore
 Infremit: ecce manu ramum prætendit olivæ
 Aurea Pax, et opes fundit: delapsus ab astris
 Iam ridet Puer, et circum simul omnia rident:
 Effundit tellus blandos sua sidera flores,
 Flavaque de duro iam manant robore mella,
 Et simul in pratis bene ludunt pardus et haedus.
 Iam nova progenies nostris adolescit in oris,
 Terrarumque regit sapiens virtutibus orbem.

*Parte altâ riguus prope flumen floret agellus:
 Hic ubi Vergilium genetrix studiosa puellum
 Edidit in foveâ, frondescit populus alba,
 Quae circumstantes truncos supereminet omnes.
 Est laurus, quam per somnum pia Maia decoram
 Floribus et variis pomis succrescere vidit.*
*Iam stupet, et species miratur in aethere summo
 Publius, et: « Salve, — clamat, — Saturnia tellus,
 Magna Virûm genetrix, salve, pulcherrima Roma,
 Tu regis imperio populos, Tu iura dedisti
 Et leges sapiens et cultum gentibus olim.
 Iam responsa petunt urbes: Te Medus et Indi,
 Te flavi Seres venerantur poplite flexo:
 Iam cecini tua bella, duces et fortia facta,
 Atque opus exegi Tibi, Roma, perennius aere ».*
Ecce canit tandem sic Flaccus voce canorâ:
 « O decus magnum columenque Vatum,
 Vergili, salve: genetrix amoeno
 Rure Te quondam peperit beata
 Sidere fausto.
 Tu, velut cygnus, viridante campo
 Crescis, et gaudes placidâ quiete,
 Tu doces silvas resonare blandum
 Nomen amicae.
 Tu doces cultus, sapiens, agrestes,
 Mox canis gentem Phrygiam Virumque,
 Qui lares tandem patrios Latinâ
 Sede locavit.
 Iam tulit victrix aquilas superbas
 Roma, terrarumque subegit orbem:
 Alma nunc Mater potiore sceptro
 Imperat oris.
 Nunc novas gentes subigit foveatque,
 Ac docet mites Pietatis artes:
 Orat, et forti sacra praeliatur
 Praelia corde.
 Namque de caelo soboles sereno,
 Quam Sibyllini cecinere versus,
 Venit, ac nobis redeunt in aurum
 Tempora prisca.

*Quin et heroes subeunt ministri
 Pacis, et mores renovare tendunt,
 Ac levant aegros animos recluso
 Fonte salutis.
 En Fides et Pax redit atque Virtus:
 Iam fluunt truncis redolentque mella:
 Iuvit insigni cecinisse plectro
 Aurea saecla.
 Laus Deo sit, qui pia templa caeli,
 Cuncta terrarum, pelagus profundum,
 Atque mortales regit unus aequo
 Numine semper:
 Ille nos afflat fidibus canentes;
 Spiritum, Publi, Tibi Summus Ille
 Et lyram nomenque dedit Poëtae
 Ac decus omne.
 Quin pias laetis animas reponit
 Sedibus: festas epulas benignus
 Usque largitur: veneremur alnum
 Numen, amici.
 Nam Crucem passus scelus expiavit
 Morte iam nostrum Deus, atque tandem
 Ianuam Caeli patefecit altam
 Nosque redemit.
 Tu preces audi modulosque Vatis,
 Si Tibi septem placuere colles,
 Fac, Deus, maius nihil Urbe possint
 Visere stellae.
 Da probos mores Italae iuventae,
 Remque Romanam sobolemque nostram
 Prospere, magnos et agas triumphos
 Tempus in omne.
 Ordinis recti Pater, alme Princeps
 Pacis, intersis populo Quirini,
 Dum parat magnum celebrare Vatem
 Tempore festo.
 Vergili, gaude: novus annus Urbis
 Iam Tibi cantus referatque ludos:
 Hic decus nomenque tuum serenâ
 Splendet in aethrâ.*

batissimum fuisse. En eius verba:¹ « Ac primo quidem observa, hunc sanasse aegros quum panes benedictionis discipulis datus esset, quos turbis apponenter ut, sanitati restituti, panum benedictionis fierent participes; nec enim qui etiam nunc infirmi sunt, panes benedictionis Iesu capere possunt. Sed et si quis, quum haec audire deberet: *Probet autem unusquisque seipsum, et sic de pane illo edat*, et cetera, his non obtemperat quidem, sed tenere panem Domini eiusque calicem sumit, imbecillus vel infirmus fit, vel dormiens ex ea, ut ita dicam, capitis gravidine quam vi panis contrahit».

Saeculo sequenti, Papa Liberius, quum Marcellinae virginis velum imponeret, de Christo loquens, eamdem prodit sententiam: « Hic est, qui quinque panibus et duobus piscibus quattuor millia populi in deserto pavit. Plures potuit, si plures iam tunc qui pascerentur fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocavit; sed iam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur a caelo».²

Denique tanta est similitudo inter verba quae eucharistiae institutionem, et quae miraculum multiplicationis narrant, ut merito sagacissimus Wilpert suspicatus sit haec illa inspirasse.³

Nec praetermittendi sunt illi Prudentii versus, quibus ita de panum multiplicatione dicit, ut omne dubium de eius eucharistico sensu auferat:

*Ac, ne post hominum pastus calcata perirent,
Neve relicta lupis, aut vulpibus, exiguisse
Muribus in praedam nullo custode iacerent;
Bis sex appositi, cumulatim qui bona Christi
Servarent, gravidis procul ostentata canistris.*

¹ Comm. in Matth., I, X, § 25; P. G., t. XIII, 902 et seqq.

² S. AMBROSIUS, *De virginitate*, lib. III, c. I, P. L., t. XVI, 219, sqq.

³ Cf. WILPERT, *Fractio panis*, pp. 75-76, not. 4. Cfr. praeterea MATTH., XIV, 19 et XXVI, 26; MARC., VI, 41 et XIV, 22; LUC., IX, 16 et XXII, 19.

*Sed quid ego haec autem titubanti voce retego,
Indignus qui sancta canam? Procede sepulcro,
Lazare...¹*

Qui quidem versus maximi ad rem nostram sunt momenti; nam ab auctore symbola sepulcralia contemplante concinnati videntur; crebro enim in picturis et sculptilibus Lazari redivivi imago panum multiplicationem aliudve eucharisticum symbolum sequitur.

Hoc igitur plane firmeque posito, panum multiplicationem sicuti figuram, ita et symbolum eucharistiae extitisse, addendum est non deesse monumenta nequam ad multiplicationis miraculum unice exemplata, ut notum illud Syntrophionis Mutinense epitaphium, sub defuncti nomen panum et piscium figuram praebens, quam aliter nesciam interpretari nisi dicam Syntrophionis in sepulcro illum delineatum fuisse panem, quo defunctus in hac vita spiritualiter nutriretur, quemque ipse Dominus pignus vitae aeternae vocavit, et veluti rationem posuit novissimae resurrectionis.² Ita alia inscriptio eucharistiam velut huius vitae viaticum ad aeternam vitam assequendam indicat. Defuncta enim Dei gratia se dicit posse mortem superare, seu aeternam consequi beatitudinem donum Dei simile portantem. Quinimo alia est, et ipsa satis nota, quae eamdem cogitationem vel clarius praebet. Habet enim: « Maritima Semne, dulce lumen haud reliquisti, tecum enim habebas in omnibus piscem omnino immortalis; nam tua tibi pietas ubique praecurrerit».

Inscriptiones hae, non secus atque Pectorii Abergique epigrammata, apertis verbis proferunt, quod Syntrophionis epitaphium symbolis exhibet. Unum nobis

¹ Cfr. PRUDENT. *Apoth.*, vv. 736-43; P. L., LIX, 980, sq.

² Profecto nihil in Evangelio magis repetitum est, quam ista eucharistiae virtus. Cfr. IOAN., c. VI, 27, 50-52, 55, 59.

Mutinense, marmor non revelat, utrum scilicet defuncti superstites ex eucharistia ab ipso defuncto sumpta rationem precandi sumat, ut Deus eum beatitudine donet — (quod ipsum defunctum petere in Aberci Pectorique inscriptionibus cernimus) —, an defunctum, propter eucharistiam receptam, in Christo iam esse illi affirmit, ut aliae, quas retulimus, inscriptions habent.

Sed aliis pro tempore omissis, iuvat proprius ad eucharistiae symbola accedere; quod tamen, ne longiores hodie evadamus, ad alias numeros differre cogimur.

S. S.

BLASIUS SIGNORI (THEOPHILUS A CURTE)¹

Dei providentia, quae per obscuros et indoctos homines, Ecclesiam toto in orbe, inconcussa stabilitate, fundavit, hanc semper sic administrare consuevit, ut nulla effluxerit aetas, quin, divinae originis in testimonium, ex parvis initii maxima prodierint. Itaque ex pauperis Francisci progenie innumeros, volventibus saeculis, excitavit heroes, qui non in solio sedentes, non praediti potentia, non circumfluentes opibus, sed absconditi, sine censu, sine honoribus degentes aevum, universam terram vitae splendore illustrarent. Sapientissimum profecto consilium: cuius hodie praeclera confirmatio in promptu est.

¹ Die xxix curr. mensis Junii supremos Ecclesiae honores decernentur Blasio Signori, qui, in Ordinem Fratrum Minorum cooptatus, Theophilus a Curte nomen assumpsit. De viro dicimus, orationem referentes qua, causam ipsius agens, Vincentius Sacconi, Sacris Consistorii advocatus, ut sanctorum ordinibus eum tandem adscriberet Summum Pontificem effigiatavit.

Blasius Signori, nobili genere, ex oppido Corte, in Corsicae montanis, tertio kalendas Novembres anno millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto lucem intuitus, post biduum, in Ecclesia paroeciali S. Marcelli, salutari aqua ablatus est. Domestica exempla pueri animum mirifice exoluere: qui sane, divino quadam afflatu, ea dare coepit pietatis specimina, futura unde sanctitas paeclare eluceret.

Decimum quintum vix attigerat annum, quum secessit in sodalium Capulatorum coenobium; verum, quum parentes ad filii desiderium accedere noluissent, ideo forte quia maiorem in illo, pro rei gravitate, maturitatem requiri existimabant, ad paternam domum reversus est. Non tamen Blasius a 'proposito recessit, quippe qui divini amoris aestu terrestria contemneret et ad caelestia raperetur. Nec alter transierat annus, quum adolescens, ex parentum consensu, qui animadverterant superno Numini se frustra restituros, in Fratres Minores, quos vocabant, Regularis observantiae, imposito Theophili nomine, est cooptatus. Mox vero, quum, expleto tirocinio, sollemini votorum sponsione se obligasset, eum Romana Minorum Provincia suos inter Sodales adnumeravit.

Dies cederet, si dicendo sanctitatis fastigium adumbrarem, quod brevi Theophilus attigit; nulla enim est christianas inter virtutes, in quibus cernitur sanctitatis perfectio, qua Theophilus mirum in modum non nituerit. Non paupertas; cuius tanto efferebatur studio, ut pecuniae fere contagionem fugere videretur. Non humilitas, in qua adeo eminebat, ut, religiosae familiae praefectus, vilioribus delectaretur ministeriis. Non pietas, cuius fervor illum, in sacro faciendo, a terra abstrahebat, eaque vi, ut divini amoris flamma, quae in pectore vigebat, ex ipso vultu appareret. Non denique (ut mittam reliquas) fortitudo, heroica cum patientia coniuncta. Ille quidem, cuius ea erat vita, in quam, tamquam

in speculum, exempla petituri, sodales inspicerent, immeritis ab aliquibus ex his iactatus criminibus et invidiae in se morsum expertus est. Quae omnia invicto pertulit corde. Animi motus, eo concitatiores, quo vehementius ingenium sortitus fuerat, studiose cohibebat; ex quo tam sereno vultu adversa sustinebat, ut si gaudio perfunderetur.

Ea erat Theophilo mentis acies, ut in omni, cui se dederet, studiorum genere, tum in philosophia, tum in theologia, tum in litteris, summopere excelleret. At cito sensit alias sibi partes a Deo reservari: sibi esse enitendum, ut Francisci Patris instituta, per sodales ad rigidorem vitam formatos, ullo sine temperamento, religiosissime custodirentur. Inde opera, ex Superiorum auctoritate, impensa in sacros recessus propagandos, itaque instituendos, ut nihil ibi esset quod a disciplinae severitate defleceret. Oratio excresceret in volumen, si omnes exponerem difficultates, quas ne coepio desisteret, Theophilus est perpessus; eas difficultates, quae vel hominem deteruisserent in proposito constantem, qui tantae molis opus, humanis fretus tantummodo viribus, aggressus fuisse. Nunc sodales, quos nimium pigebat mitiorem deserere vivendi normam, ne quid novaretur, impedimenta afferebant. Nunc populares excitabantur turbae, eoque graviores, quia vulgus facile deceptum, et falsa, parvis praesertim in oppidis, persuasione imbutum, timebat ne ob interdictum Fratribus familiaritatis usum et ob diminutum divini cultus splendorem, damnum, ex mutata disciplina, in se quodammodo redundaret. Eo processum, ut conclamaretur ad arma, tamquam ad hostem propulsandum: dum Theophilus alio se conferre cogitur, non quia vitae formidaret periculum, sed ne intestinae discordiae ansam preeberet.

Quae omnia qui pro Deo decerbat, Deo auspice, feliciter superavit. Recessus

Romana primum in provincia, mox natali in insula, denique Phicili in Etruria austri ubique legibus Theophilus condidit, eo sibi proposito exemplari, quod Francisci Patris documenta mirifice referret. Diurna ibidem ieunia; diurnae nocturnaeque preces; nulla alia fere supellex in cellulis, rudem praeter culcitam; silentium tam severe indictum, ut vix aliquot horae quadrantibus sumissa voce loquendi dari facetas; neque ad corpus excruciantum flagellis parcebatur. Haud tamen reliqua erga proximos officia praetermitabantur; in quae sodales sedulo incumbant, sive quod confessiones exciperent, sive quod aegrotos inviserent, sive quod concionibus habendis vacarent.

In quibus, ut alios impelleret, exemplo Theophilus summa alacritate praestabat. In se asperime saeviebat, licet maxime infirma valetudine laboraret: non sibi, vel aegrotanti, disciplinae rigorem relaxari sinebat. Si quo illum charitatis aut religionis avocarent ministerium, nulla viarum difficultate, nulla aëris inclemens, nullo corporis languore detinebatur; itaque accedit ut, cum nullo refectus cibo, ne ieunii legem frangeret, praeruptas per semitas, nimbo furente, pedestri se itineri commisisset, semel atque iterum animo linqueretur.

Non mirum quod, qui, sui immemor, Dei mandatis peragendis se totum devoverat, alios monitis, consiliis, potissimum vero vitae testimonio ad meliora permovebat. Hinc morum integritas ubique restituta, domestica iurgia saepe composita, errantes, quorum corda in pravum induerant, facile adducti ut emergerent aliquando et ad bonam se frugem reciperent. Hinc arcana quaedam vis, quae omnibus persuadebat ut Theophilum revererentur; ita quidem ut Germanus Dux, qui in Corsicam appulerat, hanc insulam sub Ianuensem dictionem subiuncturus, Theophilum deprecatore, non modo coenobium, sed

etiam finitima oppida armatorum incursu prohibuerit.

Quum Theophilus, quadraginta per annos ita virtutum omnium eximium se specimen exhibuisset, merito profiteri poterat: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus iustus iudex.* Re quidem vera, eum Deus, dignum habuit, qui ineffabilem, inter Superos, mercedem assequeretur. Quum in morbum incidisset, et ex medicis didicisset sibi mortem immovere, nuncium hilari vultu accepit. Sacramentis refectus, preces fundendo, extum exspectabat; denique decimoquarto kalendas Iunias anno millesimo septingentesimo quadragesimo terram deseruit, Deique aspectu et complexu fruitus est.

Prodigiorum fama, qua Theophilus et vivens, morbos sanando, mentes scrutando, futura praenoscendo, floruerat, post eius mortem longe lateque percrebuit: et omnibus coepit esse in optatis, ut summi Ecclesiae honores tanto viro decernerentur. Causa instituta; inquisitio de more suscepta; qua expleta, iisque peractis, quae in re tanti momenti requirunt Ecclesiae praescripta, Pius Papa VI Theophili virtutes heroicum attigisse gradum, sexto idus Septembres anno millesimo octingentesimo decimo septimo, sollemniter declaravit. Mox, quum per alia prodigia Dei accessisset testimonium, Dei famulus a Leone Pp. XIII octavo kalendas Octobres, anno millesimo octingentesimo nonagesimo quinto, Beati titulo auctus est.

Non hic tamen fidelium desideria consistebant; eoque magis quod efficax Beati Theophili apud Deum patrocinium iterum iterumque experti fuerant. Etenim primum Maria Dominica Loti, e Monialibus a Deiparae Visitatione; mox, nuper, Theresia Ulivelli, quum morbo consumptae, Beatum Theophilum invocassent, sanitatem praeter naturae leges, exemplo perfecteque

recuperaverant. Resumpta igitur causa; quumque de duobus hisce portentis ex diligenti investigatione certo constiterit, hoc ipso anno, octavo idus Apriles, a Sanctitate Vestra pronunciatum est «tuto procedi posse ad solemnam B. Theophili a Curte canonizationem». Quae quum ita sint, illud rogo, humili prece, sed certa spe, fidelium quippe votis confirmata, ut Beatus Theophilus Caelitum in fastos referatur.

V. SACCONI.

EX HISPANIA

S. Thomae coenobium in regione Ausetana.

Gloriam ac laudem *Almae Romae*, de litteris et bonis artibus Commentarii, admirabilia qui rei litterariae parit commoda, ita ardenter sitio, ut apprime esset vellem verum radiationis centrum, quod omnes, cum omnibus rationem habentes musis, amice sub illius humanissimis disciplinis coniungeret. Hoc ut facilis nanciscamur, necesse est, mea quidem sententia, rem a longe, a remoto principio repetere, scilicet ut tirones, praecipue ad collegia et seminaria in litteras et bonas artes incumbentes, quoque ad *Almam Romanam* scripta vulganda mittant tum locorum suorum notitias, tum animi studiosi firmum testimonium afferentia.

Nemo dicat: «Deest mihi scribendi materies; egeo arguento ad scribendum; inopia rerum labore, de quibus tractem; nulla res litteris digna succurrat.» Non enim ad haec maximi scientiae omnis thesauri possidendi sunt, neve quis credit ea tantum lege se posse scriptis aliquid mandare, ut post consueta certamina, nullo ex

suffragatoribus dissentiente, in doctorum numerum cooptetur. Quicumque in animum induxit ita rem esse, currit extra viam, totoque aberrat caelo errore que datur. Ubique enim terrarum est humana vita innumeris fortunae telis obnoxia, ex quibus plurima desumi possunt argumenta. Est praeterea necessitudo, quam saepe cum multis constituimus; est etiam dulcis amicitia, qua multos, de religione, patria arteque bene merentes, pariter nobis devincimus.

Sic, ex. gr., haec postrema res meae praefert menti lumen, et latissimum campum mihi dat, in quo cum humanissimis lectoribus hodie conferam qui sequuntur sermones.

Hac in nostra viridi fertilique regione Ausetana, intra Catalauniae limites sita, antiquum exsurgit Coenobium, cui nomen a Sancto Thoma, in quo iuvenes *postulantes et novicii*, rerum humanarum cura soluti, liberius operantur Deo sub signis Sancti Camilli de Lellis, legesque ab illo Ordini datas, rigidaeque vitae disciplinam tolerare discunt. Iam dudum, quum nihil esset eis, ubi pedem ponerent in suo, tantaque tenuitas esset ut dissimulari non posset, hic defixus est, velut riguis in hortis, tener ramunculus Ordinis Camilliani, se seque ita mirabiliter sustulit e vertice in auras, argenteo quasi caelestis benedictionis rore perfusus, ut nunc tandem fulgeat quale mixtae inter candida lilia rosae.

Praedictum igitur monasterium est vere dives fructetum, seminarium scilicet Camillorum, in quo pulcrae Regionis lucis usura fruuntur septuaginta circiter alumni, qui a patribus sex, divina humanaque sapientia egregie perornati, Ordinis, Cruce rubra coruscantis, leges religiosamque vivendi rationem ab ineunte adolescentia accipiunt.

His in patribus, adhuc florente iuventa fervidis, in quibus nihil est simulatum,

nihil fictum, nihil fucatum, sunt quae eis amorem conciliant, quae allicant sibi amicos et voluntates, quaeque ad comparanda hominum studia sunt aptissima, nihilque desiderant.

Domus, trium contignationum, in quibus pluribus est percommoda habitatio, quum olim ruinosa esset vitiumque faciens, tota fere reaedita est lapide partim quadrato partim coementitio ac structili, et in loco prominenti, amoeno, salubri et rerum vestigiis nobilitato exsurgit, ita ut subeat statim mentem vetus illa paroemia: « Mens sana in corpore sano ». Nam incolae omnes ita firmo sunt fere semper corpore, ut eis vix unquam circumforaneo opus sit medico, et omnino parva vis est pecuniae medicaminibus, quae aegri respondeant, votis, assignatae.

Arridet omnibus aetherea, qua vescuntur iucundissime, aura, et quum Oboedientia ex eo loco in alium eos educit, sive infirmitatibus afflictatis ministrandi causa, prout finis Ordinis passim expostulat, sive causa pueros iuvenesque ingenio et amore erudiendi, horumque animos molliendi industria ac humanitate, nunquam flagris neque verberibus, tum vix desiderio modus est aut pudor tam carae domus ac regionis.

Sacrum templum, aliquot ab hinc annis digne simpliciterque instauratum, auctum nuper fuit splendenti gemma, mira arte ac stylo romano, quem appellant, extracta; altari nempe principe, quod Pario de marmore totum cernitur pulcre apteque cohaerere. Perficitur marmoreo Sanctorum Apostolorum imaginibus incisis sculpturae ope tabulato.

In templis semper altare primas obtinet, sive ob altissimum eius finem, sive ob altissimam pariter significationem. Totum enim ad sacrificium ordinatur et sacrificium est Iesus, unicus verus Sponsus et Rex et centrum animarum.

Hoc pretiosissimum altare superiore

mense Aprili a Rev. admodum D. Episcopo Vicensi, P. Ioanne Perelló, SS. CC., rite cultui divino devotum ac initiatum est. Caelestibus Hostiis immolatis, hora prima post meridiem, accubatio epularis amicorum, perillustri antistite praeside, oppipare lauteque data est, et inter prandium, spiritus etiam recreandi gratia, dulcia carmina optime pronunciata sunt, ex quibus hoc nobis placet transcribere:

*Marmoris pulcri nitet Ara tandem,
thure iam pingui calet, imbuenda
regio, effuso Cruce sub cruenta
Sanguine Christi,
qui fuit mundi pretium redempti.
O Patres, Vos o iuvenes amici!
quae piam in vestram revocabit Ara
quantaque mentem!*

*Iugiter vobis teneros amores
pandet imprimis, quibus ipse Christus
vos sibi iungit numeratque caros
inter amicos:*

*quae pati fortis, sibi dum manebat
vita, pro nostra voluit salute,
quod dedit mundo, moriens, futuri
pignus honoris.*


*Lucidae duro quoque Apostolorum
marmori incisae rutilant figurae,
actaque illorum memorabit omne
Ara per aevum.*

*Ille, quo arserunt, utinam supernus
ignis et vestros animos caminis
urat in laetis quoque caritatis
tempus in omne!*

*Semper haec tandem reserabit Ara
civium vestram benefacta magna
in Domum, quantumque amor ussit artis
pectoris vestra.*

Scripsi Vici apud Ausetanos.

I. FONTS.



AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 276. - Si ructas acidum, abstine a vino, et sanaberis: loco vini aquam aniso aut cinamomo alteratam sumito; sanatus vero denuo vinum assumas.

¹ Cfr. fasc. sup.

§ 277. - Ischiade correptis eadem hora vel paucis elapsis a prima doloris invasione, si purgans medicamentum dederis, vix absoluta hac, aut ad summum altera, quam propinaveris purgatione, aeger certo sanabitur. Non ita vero, si morbus ad plures dies vel menses fuerit protractus.

§ 278. - In febribus intermittentibus, si secundus paroxysmus erit vehementior primo, tertio vero maximopere mitis, scias febrim circa quartum paroxysmum totaliter cessaturam. Si quartus paroxysmus vehementer fuerit, quintus vero magna ex parte remissior, tunc in septimo paroxysmo integra febris solutio expectanda.

§ 279. - Constans est doctissimorum medicorum observatio, nonnullos morbos pertinaces et chronicos, praesertim a longo moerore et animi pathemate productos, nullis aliis remediis celerius obtemperare, quam equitationi in aere rusticano.

§ 280. - In iis, qui hydrope sicco moriuntur, observantur glandulae mesenterii aridae, exsiccatae et tabefactae, unde causa mali morbus acutissimus, et difficillimus, citoque interimit; alvus et urina statim supprimuntur; et nihil magis perniciosus remediorum copia et farragine. - Videtur morbus hic (advertisit STOLL.), sive hydrops siccus, esse inflammatio intestinalis, praecipue tenuium, vel forte etiam colica haemorrhoidalis, quae in inflammatorium abit.

§ 281. - Quibus tormina et circa umbilicum dolores fortes, desinunt in hydropeum siccum.

§ 282. - Criticus et bonus icterus est, qui coctione indicatur, qui febris finem affert die critico, nec relinquit hypochondrii duritiem per se, et cum urinis ac deiectionibus naturaliter coloratis existit.

§ 283. - Icteri nunquam spernendi, nam sub larva ac persona icteri saepe magni, periculosi, ac repentina morbi absconduntur; et saepissime moriuntur derepente ictericci, ut ait DODONAEUS.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

ANNALES

Nationum societas.

Prouti nunciavimus, Nationum Societas superiore mense Maio Genevae congregata iterum est. Brevis quidem haec sessio; in qua tamen novae rationes, eaeque ab omnibus legatis ratae, ad praecavendum bellum propositae sunt. Scilicet pactum, quo nationes obligantur ad consilium parentum Societatis, quando discrimina inter populos suscitentur, quae ad bellum perducere aliquo modo possint. Sperandum est ut apud singula gubernia, quibus demum pactum idem subiiciendum erit, ipsum favorem inveniat, quo Genevae sanctum est.

Unanimi quoque sententia finis est impositus tutelae iamdiu decretae Societatis Nationum Hungaricae rei nummariae; atque laeto animo acceptum est nuncium, Galliam tertiam Rhenanae provinciae partem vacuam a militibus suis fecisse.

* *

Angliae res.

Contra, irritae negotiations cessere inter Angliam et Aegyptum ob dissensiones, quae componi minime potuere, circa Sudan regionis condominium: Aegyptus enim de hac quaestione novas inquisitiones repetebat, quas Anglia negavit.

Indica interim seditio late perdurat, licet post Gandhi illum, etiam qui ei successere, Tyabij primum, ac deinde Sarojini Naidu poëtria, capti atque in vincula detrusi ab Anglis fuerint.

POPULICOLA.

Cave, ne aut linguam aut aures prurientes habeas; id est, aut ne ipse detrahias aliis, aut alios audias detrahentes.

HIERONYMUS, ad Nepotianum.

VARIA

Papia, sive Ticinum.¹

Vidisses, quam ut arbitror non vidisti, Ticini annis ripae impositam Ticini urbem; Papiam iuniores vocant quasi admirabilem, urbem saluberrimi aëris. Ecce iam tres h̄ic aestates egi, ita nusquam quod meminerim, tam crebris et tam largis imbris, tam parvis rarisque tonitruis, tam nullis paene aestibus, tam perpetuis tamque suavibus auris, alibi unquam tempus hoc egerim. Vidisses pulcherrimi urbem situs Cisalpinæ Galliae; magnam partem Ligures tenent, gens et olim potens, et nostra aetate potentissima. Horum haec in medio est, et modice ex tanti imperioso quodam sedens loco, ripaque leniter pendens in margine, densis turribus adsurgit in nobila prospectu undique expedito et libero, sic ut nesciam, an ulli urbium in plano sedentium apertior sit, atque iucundior. Nullo ferme flexu oris, h̄ic vinosa iuga Alpium; h̄ic frondentes Apennini colles in oculis sunt. Ticinus ipse laetus flexibus descendens et misceri Pado properans, immoena labendo praelabitur, suoque impetu, sicut scriptum est, laetificat civitatem, ripis saxeо praeclaris operis ponte coniunctis, annis omnium lucidissimus, ut et fama loquitur et res probat, mirum quoque celer in modum, quamvis huc, quasi iam cursu fessus perveniat, et famosioris aquae vicinitate cunctantior, et adventitiis ripis, nativi aliquid nitoris amiserit. Ad summam Sorgiae nostro transalpino simillimus, nisi quod hic maior; ille autem et aestate vicina fontis algentior, et hyeme repellent fluit. Vidisses praeterea ex his unam, in quibus tu multus, et ego vel nimius sum, aeneam scilicet atque inauratam statuam equestrem, fori medio,

¹ EX FRANCISCI PETRARCA, Epist. senil., 1. 5, 1.

quasi cursu concito, clivi summa carpenterem, tuis olim, ut fama est, ereptam Ravennatibus. Quam eius artis picturaeque doctissimi nulli asserunt secundam. Quodque ultimum facit, non rerum ordo sed temporum, Palatum ingens urbis in vertice vidisses, structurae mirabilis atque impensaе, quae magnanimus Galeax Vicecomes, hic minor Mediolani atque huius, et multarum in circuitu regnator urbium erexit, vir in multis alias, in aedificandi magnificentia sese vincens.

* *

Cervus et Boves.

Exagitatus a canibus ad boves confugit cervus orans, ut se tegere velint et apud se delitescere patientur. Non repudiant preces illius boves, sed monent ut de tutioribus latebris sibi prospicere velit, aiuntque vereri se, ne in stabulo deprehendatur. Omnes periculum subitum affirmantem recipiunt, et foeno atque stramine obruunt. Advenit paullo post villicus et negligenter ad boves respicit, atque abiit. Laetus cervus se omne discrimin evitasse sperat, sed cognoscit a bobus, mox ad futurum ipsum villae et agrorum dominum, cuius diligentiam et inspectionem si evaserit, tum sibi certo salutem posse polliceri. Venit igitur paterfamilias et ob male curatos boves indignatur, et quo quidque conditum ac repositum loco sit cognoscit, et aspicit, ad pleraque etiam manus ipse admovet. Inter hanc curam et attentionem apparent cornua cervi et ipse latens intra stramenta, et, gaudente patrefamilias, caeditur.

Fabula docet, qui ad alienos confugint, si serventur, singulari hoc fortunae beneficio fiunt; itaque malum haud fere evadere. Docet etiam diligentem curam et considerationem rerum suarum unicuique esse fructuosam, et nisi adspectu heri domus illustretur, omnia esse in caligine at tenebris. Et ideo maiores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt.

locosa.

Tuccio Mater:

— Fratri tuo piri optimam partem dedisti, quemadmodum tibi commendavi?
Tuccius: — Dedi equidem semina; poterit enim serere et magnam pirorum arborem habere.

* *

Condiscipulus Tuccio:

— O si videris equum, quem nuper pater meus emit! Viam vorat.
Tuccius: — Hei illi! Brevi namque morietur.
— Undenam?
— Ex cruditate, hercle!

* *

Aenigmata

(a socio TH. GARRIDO proposita).

I

Prima rubrae et calidae fons est uberrimus fundae;
Candida aquae gelidae lene secunda caput.
Iunge duas, lector: quid fit? Longeva vo lucris,
quae, ut blaterat vulgus, fata sinistra canit.

II.

Tres cum prima notet, designat tale secunda
brutum, cui nullo competit omne modo.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) Sum-mus,
2) Ave-na.


IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanæ.

Dr. Iosephus FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

AD SEPULCRUM [5]

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA



SCENA V.

MILITES (*supervenient hinc inde clamitantes*).
 MIL. I. Fuge!
 MIL. II. Occidi!
 MIL. III. Interii...
 CIV. I. Quod monstrum fuit?
 CIV. II. Et ille mortuus?
 MIL. I. Surrexit fulgidus!
 MIL. III. Sumus portenti testimonium!
 MIL. IV. Sumus!
 MIL. I. Eum nos vidimus fulgentem gloria
Geniusque caris mille circumdatum.
 MIL. II. Pavor per omnes artus ingens irruit,
Imis dum tremuit mons e verticibus.
 Omnes: Deus vere Iesus! Deus procul
[dubio!]
 MIL. I. Nihil videbamus, movebantur omnia,
Ut saepe ventis excitantur folia.
 MIL. II. Sua tunc motus vi monumenti lapis
Ab ostio cessit quasi nos verberans...
 MIL. III. Reliqui gladium!
 MIL. IV. Reliqui galeam!
 Omnes. Quae nos sed serum terruit nunc
[novitas!]
 MIL. I. Scribis attentis quid dicamus?
 MIL. II. Nescio!
 MIL. III. Fugisse?
 MIL. II. Perperam!
 MIL. IV. Morte damnabimur!
 Omnes: Sed accidit nunquam nobis id si-
[mile]
Eamus!
 Cives: Quae gens tumultu quam ter-
[rita!]
Adest qui nostrae civitati praesidet!
 MIL. I. Qui forte vellet...
 MIL. III. Nos sermone carpere...
 MIL. II. Veni, paratos tibi loqui invenies!

9 MAR. 40

SCENA VI.

ANNAS cum SACERDOTIBUS et DICTI.
 ANNAS (*ad militem*). Quis es?¹
 MIL. I. Sum miles ego custos mox
[positus,
Illic ad Iesu crucifixi tumulum...
 ANNAS. Enim quid accidit?
 MIL. II. Surrexit admodum!
 SACERDOTES (*huc illuc acti*). Ais quid, sim-
[plex?
 MIL. II (secure). Surrexisse mortuum!
Id nempe dico!
 SCRIBAE (*magna cum vigilantia*). Tace, sis,
[stultiloque!
 MIL. I. Surrexit ipse! Nostris oculis vidimus!
 MIL. II. Miro splendore volitare in aëre,
Ut esset sol; repente capti lumine,
Ab illo fugimus monumento territi!
 ANNAS (*suspiciose*). Estis sed certi? Vestris
[vidistis oculis?
 MIL. I. Alienis forte nos vidisse creditis?
 MIL. II. Ut olim vidimus loquentem Solymis,
Magis sed fulgidum nitore splendido.
 AN.¹ Habere vultis magnam vim pecuniae?
 MIL. I. Quid melius posset nobis accidere?
 AN. Multam pecuniam certe vos habebitis,
Modo si dicetis...
 MILITES Quid?
 AN. Remotis arbitris...
 MIL. I. Quid autem?
 MIL. II. Pectoris tolle molestiam!
 MIL. I. Haud nos damnabitis vos sicut tran-
[sfugas?
 MIL. II. Dabunt et praemium?
 MIL. III. Oh! res mirabilis!

¹ *Manu eos trahit seorsum.*